29

DISSERTATIO

De

VENENIS,

Quam

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

CONSENSU

IN ILLUSTRI VIADRINA

SUB PRÆSIDIO

DN. BERNHARDI ALBINI,

MED. DOCTORIS ET PROFESSORIS ORDINARII,

PATRONI, FAUTORIS AC PRÆCEPTORIS SUI PERPETIM SUSPICIENDI,

Publico Eruditorum Examini

AD XII. JAN. A. CHR. M.DC.LXXXII.

exponet

AUCTOR

JOH. CHRISTIANUS MENTZELIUS

Berolino-Marchicus.

HORIS LOCOQVE SOLITIS.

Francofurti ad Viadrum

Typis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

60.

VIRO

Nobiliſſimo, Excellentiſſimo atq; Experientiſſimo

DN. CHRISTIANO MENTZELIO,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI DIGNISSIMO. SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO ET ARCHIATRO OPTIME MERITO. PRACTICO FAMIGERATISSIMO. PARENTI SUO OMNI OBSERVANTIÆ CULTU PLURIMUM VENERANDO,

Cum perennaturæ felicitatis & perpetuæ proſperitatis voto, in obſervantiæ teſſeram

Hoc offert Thema

Obedientiſſimus Filius

JOH. CHRISTIANUS MENTZELIUS,
Auct. & Resp.

RPJCB

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

HOminem triplicem vivere vitam Mentis ſcilicet, corporis & compoſiti cuilibet qui humanitate ſuâ exuit hominem, non poteſt non patere: Mens incorruptibilis caduco immerſa corpori, audax illud Naturæ opus hominem conſtituit, quem tamdiu vitali frui dicimus aura, quamdiu hæc duo mutuò in invicem operari videmus, ſimul ac verò machina corporis detrimentum patitur, vitiumq; capit, ita ut imperio Mentis obſeqvi amplius non qveat, arctisſimum illud ſolvitur vinculum, Mens cœli, Corpus ſepulchri fiunt inqvilini; Illa mortali depoſito corpore ſine fine vivit, hoc immortali orbatum ſpiritu viſceribus terræ mandatum, dum vermium fit eſca, corrumpitur. Corpus verò tamdiu vivit, qvamdiu ſalvis omnibus organis, jugis ſangvinis perennat circulus. Varia jam eſſe, quæ in hanc corporis vitam arietant, atroces & freqventes morbo-

rum teſtantur inſultus, qvotidianæ mortes ejus ſunt documento, & quot non triplex illud vegetabilium, mineralium, & animalium regnum, è ſinu ſuò promit juratos hoſtes, qui omni quo pollent robore utuntur, ut hanc corporis deſtruant œconomiam, & inter illa non infimi ſunt ſubſellii, quæ infami VENENORUM nomine notantur. Illorum naturæ investigatione ut paululum animum fatigem, cupido inceſſit; & licet vaſtiſſimum æqvor & inextricabiles labyrinthos videar ingredi, animum tamen obfirmabo, illud qvod ingenio deeſt, pertinaci reſarcire conabor labore, meorumq; defectuum, quos plurimos fore jam in limine video, ſupplementum ab æqui Lectoris mihi promitto benevolentia. Eſto igitur æqvus, eſto benevolus obſecro, ut dum inter Venena verſor, benevolentiæ tuæ alexipharmaco munitus, tuto progredi poſſim.

THESIS I.

TActu quotidie docemur, quanta durorum ſit diverſitas, quot illorum ſint gradus: quorum partes propter mutuam cohæſionem, ægrè à ſe invicem ſeparantur, atq; tranſitui alterius obluctantur corporis, illa dura appellamus; imò prout partium illa cohæſio pertinacior vel minus pertinax fuerit, aliud alio durius vel mollius erit corpus; quoties iſta particularum cohæſio variatur, interſtitia quæ inter particulas cohærentes reperiuntur, non poſſunt non alias figuras, aliasve nanciſci magnitudines, adeò ut quot durorum ſunt varietates, tot ſint diverſa pororum genera, & hæc pororum diverſitas facit ut quædam particulæ hos ingredi poſſint, ab aliis verò excludantur: Sic lignea vaſa, aſſervandis oleis volatilibusve ſunt inidonea, quod illorum pori has trans-

tranſmittant, illas verò inſe recipiant particulas, quod neutrum cum vitri faciant pori, illorum commoda & apta ſunt receptacula. Habent & fluida ſuos poros ſive intervalla, & in particulis ipſis & in motu particularum juxta ſe invicem relicta; non enim quælibet liquorum particulæ adeò flexiles ſunt & lubricæ, ut meatuum ſint expertes, ſed in gremio ſuo fovent & duras & rigidas particulas quæ ſui generis habent poros. Sal enim quin rigidum ſit & durum, quin omnis generis magiſteria, aurum & argentum in aquis Regia & Forti ſoluta, ſint ſolida neminem puto inficias iturum, at limpidi iſti liquores, fluida & clara illa ſunt menſtrua, licet illis innatent ſolida iſta corpuſcula; ab his fit corpuſculis quod ſolutio argenti crines tingat colore nigerrimo; ſic ſi confundas infuſiones fortes ſed claras & limpidas Vitrioli & Gallarum fractarum protinus habebis nigerrimum atramenti inſtar colorem, ſi addideris bonæ notæ oleum Vitrioli, depoſitâ atramentoſâ nigredine clarus reddetur liquor & transparens, cui affundendo ſolutionem ſalis Tartari, priorem reſtitues nigredinem, quam denuò affuſo ſpiritu Vitrioli ei demere potes; *vid R. Boyle in exper. & conſid. de color. exper. 2. p. m. 52.* Ita ſi claræ & filtratæ bonæ notæ ſublimati ſolutioni inſtillas olei Tartari per deliquium aliquot guttas ſaturi coloris aurantii mixturam habebis, qui color ab affuſo oleo Vitrioli protinus evaneſcet. *R. Boyle in exper. & conſid. de color. exper. 40 p. m. 120.* Quæ omnia certè à ſolidorum particulis, liquoribus iſtis innatantibus, quod fiant nemo cui ſanum eſt ſinciput negare poteſt, cum verò iſtæ particulæ ſint ſolidæ pororum certè expertes eſſe nequeunt; hujusq; rei cum infinita alia poſſint dari exempla, tutò concludimus & ſolida & liquida ſuis conſtare poris.

II.

In Phyſicis erudimur nullum nec eſſe, nec eſſe poſſe in rerum naturâ vacuum, ſed quælibet interſtitia, quam parva etiam concipiantur ab alia quadam materia repleri debere, cum ſpatia dari vacua implicet. Per anguſtos igitur illos meatus fluentes particulæ materiæ non ſolum debent eſſe ejus parvitatis ut tranſire poſſint, ſed etiam ejus figuræ ut configurationi pororũ reſpondeãt, cum majuſculæ anguſtos, triangulares quadratos, ellypticæ rotundos cæteris paribꝰ poros trajicere non poſſint, adeò ut quælibet corpuſcula peculiarem ſui generis vehant materiam ſubtilem, quæ quo anguſtiores iſtæ ſunt viæ majori cum velocitate moveri debet,

ut velocitate motus anguſtia loci compenſetur, & hinc ille motus fulmini & fulguri ferè analogus eſſe debet. Hic autem difficilis non ero quo nomine quis transfluentis materiæ torrentem appellare velit, ſive enim æther, ſive materia ſubtilis, ſive primi elementi appelletur mihi id erit perinde, dummodo è minimis omnium figurarum & magnitudinum conſtet particulis, ut per omnium corporum poros ſine difficultate ire queat. Subtilitas ejus arguitur in Experimento Torricelli, tubo enim non ſine difficultate Mercurio repleto, quod in anguſtis tubuli faucibus introituro Mercurio occurrat exiturus aer, eoq; inverſo ſubſidit Mercurius, ad eam altitudinem, donec Cylindrus Mercurii æquiponderet cylindro aeris, unde etiam in jugo Arverniæ montis tres pollices altius ſubſidit, quam ejusdem radice, exploratore Dno. Paſcale *R. Boyl. exp. phyſ. mech. exp. 1. p. 13.* Imò quod magis eſt *apud eundem exper. 17.* è recipiente exantlato aêre primâ exſuctione ultra ſpithamæ altitudinem decidit Mercurius, atqui illa vitri ſuperioris capacitas vacua dici non poteſt, cum illam radii tranſeant ſolares, Magnesq; per illam ſuam in Martem poſſit exercere vim, aer tamen ineſſe non poteſt, cum per craſſum Mercurii corpus ire non poſſit, ergo per poros vitri ſatis anguſtos debuit iviſſe materia aliqua ætherea, quæ aere è recipiente exantlato ibi ſola eſſe potuit, & hæc omnia præterquam quod evincant poros ineſſe corporibus, id præterea oſtendunt eſſe non ſolum materiam quandam ætheream, quam in ſequentibus ſubtilem appellabimus, omnes poros ſubire aptam, ſed neq; quoslibet poros quamlibet poſſe ſubire materiam, adeò ut hinc concludamus ſingula corpora ſingularem vehere ætherem.

III.

Et quis non videt concurrentibus figuris porisve diſcrepantibus corpuſculis varium debere excitari motum, cum enim quævis particulæ determinatos habeant poros è th. 1. certive pori certam requirant materiam mundi ſubtilisſimam è th. 11. imò particulæ quædam aliarum particularum ſubeant poros, cum illos exactè non posſint obſtruere, exigua relinquentur alia interſtitiola pariter à materia ſubtili replenda, cum igitur quælibet materia quibuslibet non congruat poris, quid magis in proclivi eſt, quam quod materia ſubtilis ſubtili occurſando, inq; particulas impingendo mutuam producat luctam, illudq; cum fiat in exiguis quibusve ſpatiolis, particulæ quælibet ab invicem remotæ faciunt phænomenon,

menon, quod Chymicis fermentatio dicitur, & prout indefinitæ figuræ pori & particulæ figuris ſuis magis ab invicem abludunt fermentatio vel tardior vel magis erit ſubitanea. Sic maſſa farinacea ab addito fermento, decoctum hordei à floribus cereviſiæ non niſi lentè fermentantur. Sic liquores dantur qui ſtatim atq; extrinſecus admittitur aer adeò denſa & albicantia emittunt effluvia ac ſi nebula in aere obvolitaret. *R. Boyle exp.phyſ.mech.29.* non alia de cauſa quàm quia aer cum dicto liquore fermentationem concipit. Alia citius fermentantur ſive effervеſcunt, quæ effervеſcentiæ denuò ſuos habent gradus: confundas Sal volatile cornu cervi cum ſalis vel vitrioli ſpiritibus ſtatim effervеſcent; affunde oleum Vitrioli oleo Tartari per deliquium & tanto cum calore efferveſcent ùt vitrum vix manibus teneri poſſit; magis vehementem ſi deſideras effervеſcentiam, aquæ forti in qua ferrum ſolutum eſt, repente oleum Tartari addas & non ſolum ebullient ſed flammam concipient. Quæ fermentationum & effervеſcentiarum diverſitas, gradu enim ſaltem differunt totam quam habet varietatem, omnes quos habet gradus à diſcrepantibus figuris, & hinc poris diverſaq; mundi materia ſubtilisſima deſumit, unde ſi unius ejusdemq; compoſiti violentis ignis actionibus particulæ in figura ſua mutentur, deindeq; mutatæ rurſus confundantur, invicem effervеſcunt, ut ejus rei exemplum è nitrò videre eſt apud *R. Boyle in tentam. circa partes nitri ſect.3. & 4.* Ita ſal Tartari fixum volatiliſandum cum additur Tartaro crudo adſpectu jucunda fit fermentatio, aliunde ſanè non proveniens niſi quod particulæ ſalis Tartari aliam acquiſiverint figuram. Dum ita mutuo luctantur plurimæ illarum infringuntur, ita ut poſtea tertium aliquod componant, uti confuſis oleo Tartari & ſpiritu vitrioli, decantatum id digeſtivum Tartarus Vitriolatus oritur. Quæ verò tantâ vehementiâ in ſe invicem non agunt, in mutuos tandem conſpirant motus placideq; juxta ſe moventur.

IV.

Si oculo attentiori illa, quæ ad corporis noſtri alimentum à nobis quotidie ſumuntur ſcrutati fuerimus diverſisſimi generis particulas, indefinitarum figurarum & magnitudinum ſalſas, acidas easq; vel volatiles vel fixas, oleoſas, aqueas, amaras, terreſtres, acres, imò ſexcentas alias in illo miſceri in aprico erit, quæ particulæ cum à ſuis nexibus ſolvuntur plus ratione ſui molis accipiunt ſuperficiei, atq; ita magis aliarum motibus

tibus ſunt expoſitæ, & prout majori vel minori vigore in ſe ipſas agunt inteſtini illi augentur motus, hinc ſive leniter putrefiunt, uti fit in ore, ſive fermentantur, quod fit in ventriculo & poſtea arteriis atq; venis, vel effervefcunt, quemadmodum in corde Manent poſtea iſtæ particulæ mixtæ in ſangvine, qui mera talium particularum congeries eſt, & non ſolum à continuis cordis fermentationibus in arterias, ex lato in anguſtum tendentes, maximâ cum vehementia pelluntur, & arteriarum venarumq; ductibus obſequi coguntur, ſed præter illum rectitudinis motum juxta omnes dimenſiones moventur, & compoſiti hujus motus vehementiâ varios in latifundia partium ſangvis deponit humores nutritioni, calori, colori &c. inſervientes: deponit in reliqua viſcera fermenta futuræ concoctioni inſervientia, vel etiam humores ſic dictos excrementitios. Ad cerebrum delatus ſangvis ſubtilisſimas deponit particulas, quæ maximam partem in cavitatibus aſſervatæ actionibus animalibus obeundis præſto ſunt, harum ope motus fiunt voluntarii & motus ab extra nervis impresſi ad cerebrum deferuntur, qui diverſas in mente producunt perceptiones & de iis diverſa judicia, quæ ſenſus appellantur; quæ omnia ſi turbentur, quot non incommoda patitur corpus, quot modis actiones noſtræ non depravantur, adeò ut ſæpe magis miremur actionum depravationem quàm ipſas actiones. Sic quotus quisq; non ſtupet viſo cataleptico in quo motus & nonnunquam ſenſus ſunt aboliti, at ferme ne miramur quidem licet quotidie ſenſum motumve experiamur: ab omnibus fermè ſeculis Epilepſia morbus ſacer dictus eſt, quia putarúnt inordinatis & convulſivis iſtis motibus plus ſubeſſe divini, quàm ſi illos ritè posſimus exequi: impeditam reſpirationem, quam in incubo experimur, ſpectro adſcribunt, aut neſcio cui magicæ arti, perennem autem iſtam aeris reciprocationem ne attendimus quidem; ſed illa omnia ne recenſeamus propoſita prohibet brevitas, nonnulla illorum ſequentia docebunt.

V.

Ritè procedentes in corpore noſtro fermentationes non leve ſanitati adferunt momentum, atq; ita naturâ comparati ſumus, ut omnia illa quæ huic inſervire poſſunt inter ſalubria referamus, ſic aer cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, excreta & retenta atq; animi pathemata tanquam ſalubria probantur, aut tanquam inſalubria rejiciuntur, nullo alio reſpectu, niſi quatenus vel noxia vel proficua noſtro corpori,

corpori, cujus vita maxima pars in debitis illisq; appropriatis conſiſtit fermentationibus, reputantur, hinc noſtram ſanitatem lapidem lydium facimus ad quem reliqua examinamus ſingula: ita vulgatius nihil eſt apud Botanicos, quàm diviſio omnium vegetabilium in certos ordines quos gradus vocant, quos iterum in alias ſubdividunt manſiones, ut hoc ipſo determinare poſſint in quantum noſtras fermentationes vel excedant vel ab iis deficiant, & hoc reſpectu ætatis differentiis variisq; anni tempeſtatibus ſua tribuuntur temperamenta. Ex hoc fonte ſcaturit quoq; Venenorum nomen, ad quorum Claſſem omnia illa referuntur, quæ œconomiam noſtri corporis maximopere turbare vel etiam evertere poſſunt, & prout damnum quod corpori infertur majus eſt, eò etiam inter pernitioſiora venena referuntur, unde liquet abſolutè ſic dicta venena non dari, ſed illorum eſſentiam totam eſſe relativam. Quotusquisq; enim ſcorpiones venenatos eſſe dubitat, & quis noſtrum non quotidie olivarum oleum impunè aſſumit, at hujus tres aut quatuor guttæ ſcorpioni ſupra dorſum inſtillentur & ſpatio horæ quadrantis morietur. Viperam venenatam eſſe Lippis & Tonſoribus notum eſt, ſed perit illa ſi vulneri vel minimum olei Tabaci inſtilletur à quo tamen non perit anguilla dummodo eo momento aquæ injiciatur. Sic dimidium olei Ricini granum ſimiolo concitat vomitus, dejectiones alvi & hypercatharſes anxias & terribiles & ſex ejusdem olei guttæ gutturi galli immiſſæ ipſi ne nauſeam quidem excitant. *Fr. Red. obſerv de viper. p. m 36. 37. & 7.* Sic amygdalas amaras quæ nos inter bellaria reponimus vulpibus venenum eſſe botanographi notant, gallinis lethales eſſe non ita pridem experimentis conſtitit. Nil notius eſt, quàm ſuave ſentire oblectamentum feminas dum in viri ruunt amplexus, ſed obſervatum eſt juvenculam quandam ſemen quidem mariti ſumma cum voluptate recepiſſe, verùm ipſo momento ſummis affectam eſſe cordis anxietatibus atq; infimi ventris torminibus, ut ſæpe ſæpius animi incurrerit deliquium, donec ſemen rurſus effluere ſenſerit. *Vid. Ephemerid. Germ. anni octavi obſ. 99. & anni tertii obſ. 233.* Scorpioni itaq; olivarum oleum, quod nos in deliciis habemus, venenum eſt, Viperæ tabaci oleum, non anguillæ lethale eſt, oleum Ricini ſimiolum torquet non gallum, amygdalæ amaræ nos ſæpe juvant, gallinas necant, noſtram juvenculam ſemen virile graviter, quod alias ſuaviter afficit. Inconcuſſæ igitur eſt veritatis,

abſolutè ſic dicta non dari venena, ſed totam illorum in relatione conſiſtere eſſentiam.

VI.

Noſter itaq; ſangvis in arteriis & venis quà majoribus quà capillaribus fermentatur, è quorum vaſorum poris in latifundia partium depoſiti humores reflui per vaſa lymphatica denuò miſcentur ſanguini. Deponatur igitur in quamcunq; partem ſolidam liquor aliquis, per cujus liquoris particularum poros peculiaris trajiciat materia ſubtilis, ab ea, quæ continuo per poros particularum noſtri ſangvinis fluit, diverſa, atq; eatenus corpori noſtro peregrina, illa ſangvini mixta cum in illius inteſtinos non poſsit conſpirare motus, illis obluctatur, materiæq; illæ ſubtilisſimæ æthereæ ſibi occurſando impetuosè illas particulas removent ab invicem, unde mixturam illam ſangvinis turbando, fermentationes ſufflaminant, ſpiritusq; ſuffocant, quibus deficientibus derepentè omnes ceſſant actiones animales, unde feſtinâ pereunt morte, illiusq; veneni nullum poteſt eſſe remedium, ſi materia ſubtilis admodum ſit corpori peregrina, ita ut non ſolùm propriæ fermentationis, ſed etiam adhibitorum medicamentorum eludat vires, quale Luſitanis eſt Cegæ venenum, quem ſerpentem Braſilienſes Ibyara, Tapuyiæ Bodty vocant. *J Jonſton in hiſt. animal. quadrip. de ſerpent. tit. 2. cap.* 1. *art 10.* Si verò iſtud venenum à ſangvine effluente aliqualiter eluatur, tunc licet ejus reliquum adverſetur fermentationibus, illas tamen ob paucitatem ſuperare nequit, unde nec tàm brevi tempore obeunt, ſed ab humoribus ita invicem luctantibus intumeſcunt labia vulneris, & præterea ſpirituum animalium aliqualis fit ſuppreſſio, unde præſto eſt animi deliquium quale venenum eſſe viperæ cornutæ illyricæ quam Græci ἀμμοδύτην vocant, perhibet. *I. Ionſton. in hiſt. anim quadrip. de viper. tit. 2. cap.* 1. *art. 2.*

VII.

Fermentum id morſu vel ictu ſangvini communicatum ſi tam peregrinam ſecum non vehat materiam ſubtilem ut primâ coitione, quæ acerrima eſſe ſolet ſangvinis mixturam turbare ſtatim poſſit, ſed illi ſangvis paribus reſiſtat viribus, ita ut utraq; illa materia ſit quaſi in æquilibrio, dum luctantur ut neutra alteram ſuperet, particulæ quaſi quieſcunt, illam quietem animadvertens mens, cum aliàs ſimilem experta ſit à frigore externo, eo quod ſolito fibræ non tremant, ideam ſentit frigo-

ris,

ris, quæ idea eò erit notabilior, quò magis ille fibrarum tremor de quiete participat, adeò ut aliquando non ſolùm de horrore ſed ſummo etiam conquerantur frigore. Nec miretur quis quod à fermentatione frigus deducam, cùm tamen illam in vario juxta ſe particularum motu antea dixerim conſiſtere & motum caloris cauſam eſſe alibi ſit dictum, taceo enim quod hic fermentationes quaſi ſiſtantur, adeoq; à fermentatione hic propriè loquendo frigus non fiat, novimus tamen caloris atq; frigoris vocabula merum denotare reſpectum uti th. V. dictum adeo ut res una eademq; dici ſimul calida & frigida poſſit, prout manus tangentis vel calet vel friget. Sic chymia exhibet fermentationes ad ſenſum frigidiuſculas, ſi enim ſali armoniaco ſal Tartari in retorta miſceatur affuſâ aquâ frigidâ, retortam exterius tenui glaciei cruſtulâ obduci aliquando obſervatum eſt, atqui hic nullum fieri motum revera dici nequit, ſal enim armoniacum volatiliſatur, adeoq; aliam particulæ debent nanciſci figuram, quod ſanè ſine mutuo iſtorum ſalium motu fieri nequit, frigus verò ſentitur, quia motus inde ortus non accedit ad motum nervorum noſtrorum atq; eatenus quatenus de quiete participat, ideam exhibet frigoris. Hunc frigoris ſenſum vehementiſſimus ſequitur calor, cui analogum quid in febribus videmus, imò culinare & vulgare quoddam experimentum talè quid nobis oſtendit, injectis enim lignis humidis in ignem, ille primitus quaſi ſuffocatur & extinguitur, cum verò ſemel flammam concipit multò vehementius ardet; fermentum hoc diximus ſtatim ſangvinis enervare fermentationes, illud igitur ubi ſemel in ſangvinis conſpiraviti motus, multò vehementius cum illo movetur, qui motus plus ſolitò fibrillas concutiendo facit ideam æſtus; & quæ particulæ vehementibus iſtis obſequi non poſſunt motibus ex eo expelluntur & per poros cutis exeuntes ſudorem componunt; qualia ſymptomata Scorpionis ictum ſequi docet. *I. Ionſton. in hiſt. anim. quadrip. de inſect. T. 1. cap 2. art. 1.*

VIII.

Si peregrini fermenti particularum talis figura ut ratione ſangvinis quaſi Alkali vel acidum ſint, tunc aliæ in aliarum poris receptæ incontinenti mutuò efferveſcent ex th. III. atq; ita ſangvis velociſſimè, intra anguſtos canales movebitur & inſignem lateribus vaſorum inferet vim; cumq; illa efferveſcentia circa vulnus primò fieri debeat vicini tu-

buli atq; vaſa vim ſuſtinebunt maximam, atq; dum efferveſcunt non poſſunt non fibras illas tendere, quod ruptionis periculum ideam doloris in mente excitat: anguſtos illos tubulorum canales, antequam ſint rupti, nihil exceptâ aquâ tranſire poteſt, paulatim tamen ruptis fibrillis è foraminibus morſu inflictis ſangvis exit: vaſa, corporis cavitates pererrantia cum carni immerſa non ſint, ut ab illa fulciri poſſint & hinc ſangvinis impetuoſitati non ſint paria, rumpuntur, & ſic ſangvis ex naribus, canthis oculorum, cavitatibus aurium, imò omnibus corporis meatibus ſub ratione ſangvinis erumpit: Caro gingivarum cum ſit duriuſcula atq; ita poros habeat conſtantiores, quæ particulis irruentibus cedere nequeunt, laceratur, unde putrefactis gingivis dentes, quos valli inſtar cingunt, excidunt: Sicubi in corpore fuerint cicatrices, ſive talis caro cujus tubuli reliquæ carnis tubulis accuratè non reſpondeant, in iſta impedimenta impingens ſangvis, illa removendo dilacerat, unde cicatrices recrudeſcunt. *In hæmorrhoi morſu* (verba ſunt Matthioli l. 6. c. 50. inquit J. Jonſt. in hiſtor. animal. quadrip. de ſerpent. Tit 2. cap. 1 art. 4) *color loci percuſſi fit cruentus, ex quo ab initio nihil, præter aquoſum quoddam effluit; ventriculus dolore afficitur: deindè ſanguis non ſolùm ex foraminibus morſis, ſed etiam ex naribus fluit: ſpirandi difficultas ſubſequitur, & ſi quæ in corpore obductæ fuerint cicatrices, recrudeſcunt. In morſu feminæ anguli oculorum & radices unguium ſangvinem fundunt: imò ſangvis ab omnibus corporis meatibus manat, & tandem dentes, putrefactis gingivis excidunt; Eadem Nicander, Galenus, Lucanus & Ælianus prodidêre.* Quæ præcipua ſymptomara in antecedentibus explicata eſſe quilibet videt, & illa quæ hic explicata non ſunt partim ſine labore è dictis deduci poſſunt, partim alibi in hâc diſſertatione explicabuntur.

IX.

Omnia fermenta ejusdem generis non habere particulas experientiâ conſtat, unde ab iis neq; iidem effectus exſpectari poſſunt: ſi fermentum aliquod ejus naturæ ſit ſangvini miſtum ut eum vehementius agitet, ille motus in omnibus particulis æqualis eſſe non poteſt, ſed majuſculæ dum magis in ſuo ſtatu eſſe perſeverant in ventriculos cerebri depoſitæ in illarum impingentes latera retento motu mutant determinationem, cumque nulla linea à recta minus diſtet quàm circularis (angulus enim qui à tangen-

tangente & peripheria deſcribitur quovis angulo retilineo minor eſt: *ex element Euclid. lib. 3. prop 16.* cumq; recta & curva ſub minimo angulo ab invicem diſtent inter ſe quoq; minimum diſtabunt:) in circulum aut circulo propinquam ellypſin rotantur, & ſic omnes à corporibus externis ortas radiationes ſecum rapiunt, unde omnia videntur in orbem rapi, quod vertiginem nominamus. Dum ita velociter moventur particulæ, quæ motibus iſtis obſequi non poſſunt, quales v. g. ſunt pituitoſæ & craſſæ, extruduntur & ingrediendo poros glandularum v g. maxillarium Warthoni qui propter carnem ſolidiorem ſunt conſtantiores, in illis hærent, & ſic humidi in fauces impeditur influxus unde immenſa fit ſitis; ſimilem in anguſtis renum tubulis offendentes remoram ſeri tranſcolationem impediunt, unde Urinæ vel difficultas vel totalis ſuppreſſio oritur: In cerebri effuſæ poros illius fibris incumbendo ſenſum faciunt gravativum; quæ pororum obſtructio ſi magis ſit univerſalis, ita ut cerebrum & nervi conniveant, neq; à ſpiritibus animalibus elevari poſſint, qui & ipſi deperduntur, ſopor fit; eædem pituitoſæ particulæ in tubulos carnium depoſitæ pariendo obſtructiones viam à tergo ſequentibus intercludunt humoribus à quorum torrente fibræ elevantur, unde totum ferè corpus intumeſcit; in extremitatibus corporis vaſa tubuliq; cum multo ſint anguſtiora obſtructiones in iis fiunt pertinaciores, in quibus ſi veneni acres hæreant particulæ fibrillas continuâ lancinatione erodunt, & ſic videntur puſtulæ ambuſtis ſimiles erumpere: Eædem obſtructiones factæ in tubulis membranarum ventriculi, cum humores biliosi ſuum abſolvere circulum nequeant in ventriculo ſiſtuntur, cujus vellicantes fibras faciunt ut convellatur, quo convulſo humor bilioſus in ventriculo ſtabulans ejicitur, & hoc bilioſum appellamus vomitum. Hæc autem & ſimilia ſymptomata ad Viperæ, Amphisbenæ, Cenchri, & Acontiæ morſum ſequi, videre eſt apud. *J. Jonſt. in hiſt. animal. quadr. de ſerp. Tit. 2. cap.* 1 *art.* 1. 9. 11.

X.

Peregrina illa in ſangvinem inducta materia ſubtilis dum ejus mixturam diverſimodè turbat ut mox ſanies ſubnigricans, modo ſubpallida effluat, facit; Dum vim patitur ſangvinis mixtura varie moti extruduntur ſpiritus animales, qui fortuitis ſuis motibus varia aperiunt veſtigia à quibus variæ in conario fiunt preſſiones quæ jam hæc jam illa

menti repræſentant, de quibus omnibus mens ex lege conjunctionis judicans illaq; judicia connectens facit id quod nos mentis alienationem vocamus; cum radiationes à nervis v.g. opticis ad cerebri ventriculos delatæ ab inordinatis ſpirituum motibus interrumpuntur & ſic ad conarium pertingere nequeunt mens de iis judicare nequit, quod oculorum caliginem appellamus, quale quid à Ceraſte demorſi vel Aſpide icti experiuntur. Vi ebullitionis in partium præcipuè membranoſarum poros certæ figuræ corpuſcula impulſa, ſi poros in totum non oppleant ſed materiæ ſubtili dent occaſionem per relicta intervalla copioſius & vehementius fluendi, efficient membri tumorem, calorem, ruborem, quale quid in inflammatione contingere videmus, à qua in Cerebro & meningibus phrenitis, in faucibus angina, pecto e pleuritis, inteſtinis dyſenteria &c. orientur, qualia bufonis infecti veneno vel qui ſuccum hauſerunt cicutæ experiuntur. *Vid. Joh. Jonſton. hiſt. animal. quadrip. de ſerpent. Tit. 2. cap. 1. art. 3. & 6. Item de quadrup. Tit. 1. cap. 1. art. 2, punct. 1. Ephemer. Germ. annum. 4. & 5. obſ. 106.*

XI.

Qvod ſangvis varias extrudendo particulas variarum rerum aperiat veſtigia, qvorum occaſione cum mens judicat, & judicia adſtantium judiciis non congruunt, delirare dicitur Th. X. dictum. Si jam iteratis meditationibus, aut à notabilibus qvibusdam pasſionibus veſtigia quorundam altius cerebro fuerint impreſſa, illæ plicæ toties plicatæ ad ſpirituum motus facilè iterum aperiuntur, illæq; res, quarum ſunt veſtigia menti æquè vivaciter exhibentur ac ſi ipſæ res illas producerent, unde mens more ſolito de illis judicans ipſas res adeſſe putat; Et ſi fortè quasdam paſſiones antea rebus ipſis junxerit, illarum recordari non poterit, quin ſimul olim junctæ ideæ recurrant; & hoc ipſum in vita communi nobis ſæpe uſu venit, imaginaturi enim v.g. cujusdam amici naſum, ſimul ipſius omnia liniamenta noſtris obverſantur oculis, antea enim illa ſemper conjuncta conſpeximus; ita ſi in præſentia proci amaſiæ fiat mentio, ſtatim internam commotionem ſentiet procus, amoris enim paſſionem cum perſona dilectæ tam arcto junxit vinculo, ut poſtea neutrius meminiſſe poſſit quin alterius jungatur idea. Ita Hippocrates indagavit, morbum Perdiccæ Regis Macedoniæ chronicum ex amore erga Phylen, defuncti ſui parentis Alexandri concubinam, ortum ducere;

cere, hinc Eraſiſtratus, ex Ariſtotelis poſteritate, Antiochi amorem erga Stratonicam ipſius novercam dignovit. Et hinc tot Melancholicorum oriuntur genera, qvibus enim quisq; paſſionibus vitæ ſuæ tempore fuit deditus, cum earum plicæ cerebro ſint factæ familiares, tales in melancholicorum inſomniis denuò exhibentur. Sic alii paupertatem metuunt, ſic Triumphus Camerinus Petri Ubaldini ſervus ſe Imperatorem eſſe imaginabatur, ſic Thraſillus Athenienſis de navium adventu lætabatur omnium, ad ſe enim pertinere putabat, ſic alii ranas ſe in ventre circumferre putabant, quod ſe ſperma ranarum hauſiſſe conciperent, & quis omnia melancholicorum deliria recenſere poteſt? E dictis ratio patebit, cur à comeſtis hyoſcyami radicibus mentis perturbationem & furorem miræ geſticulationes exceperint ſecundum cujuslibet naturæ inſtinctum, ut alius inſtar hiſtrionis ſemicaligatus inceſſerit: alteri omnia, quæ tantum in conſpectum veniebant, ut Midæ, aurea eſſe viſa fuerint, cibi quoq; menſæ appoſiti: tertius homines porcos eſſe putaverit, quaſi à Circe in eos eſſent commutati, quos pridiè in horto conſpexerat, ædibusq; expellendos juſſerit: Qvartus Martis inſtar quos adoriebatur trucidare voluerit, obſervante D. Simone Schultzio *in Ephemer. German. ann. 4, & 5. obſ. 124.*

XII.

Peregrinum tale fermentum per vulnus communicatum, nimium movendo ſangvinem, cujus calor eſt index, quomodo ſitim producat Th. IX. viſum, & præterea non poteſt non copioſos tubulis intrudere ſpiritus & humores, unde fibrarum ſeqvitur tenſio. Sitientes iſti ægrotantes ad ſitim extingvendam hauriunt liqvida, à quibus ſi lædantur & crucientur, propter excitata tormina, liquores abominantur, & ſic ideas liqvorum & abominationis arctè jungunt, ita ut poſtea, quâ etiam ratione aqvarum idea excitetur, averſationis idea ſtatim juncta ſit, adeoque eo momento miro afficiantur pavore, & poſtea aucto delirio ne liqvidorum qvidem ferant mentionem libentiusque pereant ſiti. Quod autem tenſis fibris ab affuſis liqvoribus majus periculum ruptionis immineat, adeoq; augeatur dolor, ſimile ferè qvippiam carnifices nobis oſtendunt, qvando enim hominum torturæ addictorum artus ſatis vehementer extendêre, illiq; iis cruciatibus ſunt ferendo, brachiis ſtillatim frigidam affundunt, unde dolores adeò augebuntur, ut omnes ſuperent

perent cruciatus; ſimile quid ſi in ægrotorum fiat corporibus revera cum ratione liqvida averſabuntur, unde Salius teſtatur ſe vidiſſe qui dixerint: *Claudatis mihi oculos ne videam, & omni conatu conjicite ad intra os aquam & omnia alia, quæ in potu prodeſſe poſſunt, cumq; dentibus fremerent, ac canum more mordere cogerentur precabantur adſtantes, ut eos validè continerent, eosq; admonebant, ut ad os eorum manum vel aliam corporis partem non admoverent.* Hydrophobia id nuncupatur, rabidi canis morſus aliquando comes: citius autem tardiusve invadit prout ſangvinis fermentationes peregrino fermento magis minúsve reſiſtere poſſunt, unde nonnunquam ad aliquot dies, menſes, imò annos latere poteſt, donec dato ſtimulo è carceribus ſuis erumpat & vires ſuas exerat.

XIII.

Ordo jam exigeret ut oſtenderem qvomodo fermentum aliqvod peregrinum cum aere per poros noſtri corporis ingrediens, pulſum poſſet facere debilem, freqventem, inæqvalem vel vehementem, virium lapſum, artuum langvorem, dolores capitis gravativos, lipothymias, dolores pungentes, præcordiorum & internarum partium æſtum, lingvam nigram, hæmorrhagias, horrores, cordis palpitationes, ſingultus, tuſſes, vomitus, nauſeas, cardialgias, petechias, bubones, anthraces, quibus ſymptomatibus plurimis concurrentibus peſtis imponimus nomen, niſi dictorum ſymptomatum maxima pars jam explicata eſſet, reliquorumq; ex illis facilis eſſet deductio.

XIV.

Nec ſola ſunt peregrina noſtro corpori fermenta, quæ tot incommoda cauſari poſſunt, ſed etiam dantur minimæ materiæ partes, quæ eatenus quatenus ſunt corpora, certos ſuæ extenſionis debent habere terminos, & pro ratione ſuarum molium certis terminari ſuperficiebus ſi jam intra corpus noſtrum ſumantur, quæ vi ſuarum figurarum, fibrillas reſcindere & corrodere poſſunt, illæ acutisſimos dolores & roſiones debent producere; lancinando excitare convulſiones & irritando copioſos alvi ſeceſſus & teneſmum; erodendo meſaraicorum vaſorum oſcula dyſenteriam: varias partes inflammando ardorem; volatiliores ipſius particulæ cum ſangvine ad ſolidas delatæ partes illarum fibras reſcindendo reliquis humoribus viam intercludere, & corpus reddere tumidum

dum: inſpirationi & exſpirationi inſervientes nervos vellicantes efficere ut illis convulſis ſubitò aer in pectus impellatur viciſſimq; expellatur, quod ſingultum nominamus: hæc & ejusmodi ſymptomata arſenicum, antimonium, aliave ejusdem generis inducunt; imò non deſunt exempla ubi à continuo cantharidum ad dragmas duas ſumptarum ſtimulo inexplebile ortum coeundi deſiderium, & loco ſeminis exeunte ſangvine infelix ille Veneris alumnus occubuerit, *Ephemer. German. ann. 9. & 10. obſ. 148.* Ita & legimus in Indiis apud Hocitalpenſes cantharidum parvarum eſſe genus, cui igneo vermi ab igne aut urente natura Teocuilin nomen impoſitum eſt. *J. Ionſton. hiſt. animal. quadrip. de inſect. lib. 1. c. 3. art. 6.*

XV.

Et quod mireris eſſe nonnulla quæ nobis ſunt & non ſunt venena; quis enim non quotidie videt magno cum ægrorum levamine ſpiritum Vitrioli, vel oleum Tartari à Medicis exhiberi, inſtilles eadem venæ apertæ, hoc diluendo id coagulando ſangvinem, lethalia erunt venena. Quotusquisq; viperarum ictum eſſe lethalem non novit, at experientia conſtitit lethiferum illarum venenum innoxiè ore aſſumi poſſe neq; necare hominem niſi vulneribus inſtillatum. Sic jacula incolarum Bantam vulnerando brevi mortem inducunt, ſtent eadem infuſa per plures in liquore dies qui epotus ne nimium quidem alterabit Mirabilium horum effectuum alia nulla poteſt reddi ratio, quàm quod illud fermentum in ſangvinem, illum ſine ſpe reſtitutionis turbando, ſtatim operetur, nec lenes ejus fermentationes illi reſiſtere poſſint, per os verò aſſumtum iteratis & ſatis potentibus fermentationibus ejus particulæ infringantur, immutentur, pori rumpantur, ut poſtea nullam in corpus exercere vim poſſit.

XVI.

Nec difficulter rationem jam reddere potero cur mala perſica per totam ferè Aſiam ſint venenata, in his verò oris ſalubria, cur cicuta & Napellus in Pyrenæis montibus ſint venena eadem in Britanniam delata fiant comeſtibilia. Cum enim diverſa terræ clymata aliis atq; aliis aſtris ſint propinqua diverſæ quoq; naturæ recipient ætherem; fovet præterea quævis terra peculiares in ſuo gremio ſuccos, aliter igitur fieri non poteſt, quàm quod herbæ transplantatæ, dum alios recipiunt ſuccos, perq;

illarum poros alia fluit materia ætherea, vim patiantur & immutentur, ita ut poſtea alium vehant ætherem, qui, loco quod antea noſtris infenſus eſſet fermentationibus, cum iis amicè conſpirat, i. e. herbæ vel fructus è venenatis fiant ſalubres.

XVII.

Et ſic vides Benevole Lector me ad umbilicum hoc perduxiſſe opus, quâ felicitate vel infelicitate ipſe judices. Animo lætor me, licet fatigatum, huic tamen non ſuccubuiſſe oneri. Simplicisſimis hic uſus ſum principiis, nil tamen obſtante ſimplicitate tot ſymptomatum ſyndromen ex iis deduxi. Tàm evidentia hic ſunt omnia, ut ocultis qualitatibus nullus reliquus ſit locus. A me tamen non expectabis opinor ut Ariſtotelicorum principia à vero abeſſe oſtendam, Chymicorum Sal, ſulphur & Mercurium non ſufficere demonſtrem, ſubactioribus illa relinquo ingeniis, cum me hic Plato quieſcere jubeat. Si Tibi placuerint eſt quod mihi gratuler, ſin minùs me excuſabit fervor ſciendi quomodo venena perdant ſanitatem.

TANTUM.

TOxica mellifluo depromit aranea flore,
Ex qvo mel ſapidum ſugere novit Apis,
Progenies Satanæ pecus hoc imitata malignum
Ex benè conatis pravâ venena petit.
Contra piæ Mentes Apium bonitate refulgent,
Quæq; boni benè dant hæc bona rite vocant.
Aſt ex mortifero qvi promit ſana veneno
Inter terrigenas vix habet iſte parem.
Hanc tamen edidicit raram MENZELIUS Artem
Jamq; ſtudet labiis diſſeminare piis.
Inde petit Cathedram teneris licet impiger annis
Quîq; venena qveant Pharmaca ferre docet.
Si ſic percelebrem ſtudiis imitére PARENTEM,
MENZELI, ſtudiis ipſe celebris eris.

Quod ut fiat candidè exoptat

JOH. SIMONIS, D. & Theol. Prof. Ord.

Honoribus Nobiliſſimi Domini AUTHORIS,
Magni Parentis maximæ ſpei Filii,
Auditoris ſui ſummè Dilecti
PRÆSES.

SIccine qvas laudes ſtudiis dudum meruiſti
Anni primitiis toxica ſæva dabunt?
Pulchra dabunt promitto Tibi præconia laudis,
Et Virus mordax meſſis honoris erit.

MEN-

J682
A337d

11-01

MENZELIUS doctè qvæ ſit natura Veneni
Diſſerit, & dignum ſe probat Arte ſua:
Hujus enim pars eſt non infima rite tenere,
Quæ juvet ægrotos, qvæq; ſit herba nocens.
Gratulor hinc ipſi, Dominus bene cœpta ſecundet
Ut ſtudii qvondam præmia digna ferat.

Hiſce Nobiliſſimo Domino Autori,
Commenſali atq; Amico integerrimo
adplaudere voluit

PAULUS BERGIUS, LL. Stud.

AMICE, vires IngenI, qvibus Natum
Ingente dignum TE PARENTE teſtaris,
Probas abundè virus explicans atrox,
Quod eſt ſalutis perduellis humanæ,
Aſt in medelam dira ſæpius poſſunt
Verti venena, plurimumq; prodeſſe;
Sic ex Venenis his Tuis ſat excultis
AMICE, ſemper juſta laus TIBI ſurgat.

Nobiliſſimo Domino Reſpond.
gratulaturus l.m.q.
ſcripſit

JOHANNES FRIDERICUS Ortlob/
Olsn. Sil. Phil. & Med. Stud.

(?)